

DE
AFFECTATIONE OBSCVRITATIS
SINGVLARI VETERVM QVORVNDAM PHILOSOPHORVM
STRATEGEMATE SCHOLASTICO

DISSERIT

ATQVE
ORATIONES
VALEDICTORIAS

IN FRANCISCANEO MISENENSI

D. V. APR. A. R. S. CID ID CCLIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE HABENDAS

INDICIT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS,
RECTOR.

DRESDAE PRAELO JO. GVIL. HARPETERI.

Philos.

A.

200,32

VALLEBERG G. G. G.
SÄCHSISCHE ANDES BIBLIOTHEK
DRESDEN

VALLEBERG G. G. G.
SÄCHSISCHE ANDES BIBLIOTHEK
DRESDEN

SÄCHSISCHE ANDES BIBLIOTHEK
DRESDEN

Sächsische
andesbibliothek
Dresden



Ea omnino philosophiæ est præstantia atque dignitas, ut non solum ingenia hominum aspera & rudia perpoliat, veræ sapientiæ thesauros aperiat, erroribus obicem ponat, nec non rerum suarum studiosos arte instruat complicatas animi notiones evolvendi: sed ut lux veritatis, discussis tenebris humanæ menti natura offulis, clarius exsplendescit, ita etiam docet ordinatim, distincte atque perspicue meditata eloqui, expeditiusque proponere, quæ sigillatim & composite sunt excogitata. Quæ cum ita sunt, mira sane res est, summos ex antiquitate philosophos non dicam perplexe & obscure sua consignasse, sed omni conatu dictionis affectasse obscuritatem, ita ut neque intelligi, neque legi ab aliis voluisse videntur. Alii tam perturbata & subtili docendi ratione sunt usi, ut non philosophari atque veritatem ex recessibus, quibus sæpe latet, in lucem protulisse, sed ænigmata potius & oracula edidisse dixeris. Alii ubivis ambigua usurpant vocabula, iisque consulto surrogant vim & potestatem, ad quam expiscandam vel Delio natatore opus est. Alii *ὀνοματοποιίας* artificio, dialogorum lenociniis & poëticis fabulis, suppressis doctrinarum suarum principiis, alii aliis

tegumentis nudam involverunt veritatem, uti consiliis suis convenire hoc sunt arbitrati.

Cujus obscuritatis tantopere affectatae rationes si curatius investigamus, facile comperiemus, *σκότισον, σκότισον* illud philosophorum ad strategemata scholastica esse referenda, quibus tam veritati suavitatem quandam conciliare, quam scholarum suarum gloriam amplificare, minacesque plebis imperitae insidias & furores subterfugere quærebant. Quum enim verbum a) *στρατήγημα* apud Græcos & Romanos tam amplae est comprehensionis, ut partim pro callido invento militari, partim pro quavis sollertia civili machinationibusque ac simulationis & dissimulationis remediis accipiatur: quid impedit, quo minus hæc tegendi quæque & obscurandi studia philosophorum eadem voce signemus, quibus & ambitioni suae facere satis & sectae recens conditae institutis gloriolam quandam acquirere annitebantur. Videlicet ut rerum publicarum statores ad auctoritatem suam tuendam b) variis artibus politicis tam domi quam militiae sunt usi: ita illi scholarum amplificatores pari etiam consilio agitati horum vestigia frequenter presserunt.

Ingenii humani ea plerumque est indoles atque corruptio, ut, quod implicatum videtur & intellectu difficilius, hominumque fugiat captum & intelligentiam, longe religiosius vereantur tanquam divinum, sublime ac excellens, quam quæ clara sunt facilitate negotio comprehendi possunt. Vilescunt enim non quotidiana tantum, sed ea quoque, quæ primo aspectu confestim patefcunt
nec

a) Ut non solum copiarum duces sed quilibet civitatis præfecti *στρατηγοὶ* sunt nominati: ita quoque *στρατηγήματα* utriusque ordinis heroibus in Sago & toga tribuuntur. Prius Pollux in Onomast. L. I. segm. 128. Pfeifferus in Ant. Græc. L. III. c. 4. p. 487. in primis Ezech. Spanhemius in Thesauro suo de præst. & usu Numismat. Ant. T. I. p. 696. testatum fecit, ubi addit simul rationem, *στρατῆ* vocem, quæ postea de exercitu sumi consuevit, olim de populo aut civium cætu esse usurpatam. Posterius luculenter evictum dedit doct. Rostius in Diss. de strateg. politicis, p. 7. seqv.

b) v. quæ Polyænus, Frontinus aliique rerum historicarum Scriptores fusius in hanc rem sunt commentati.

nec ullam mentis aciem atque indaginem requirunt. Quicquid itaque sacrum esse voluerunt veteres, velo quasi obtexerunt, ut & pretium rebus & reverentiam compararent. Ingenue hoc fate-
 tur c) Tacitus, ubi: *Ignotum, inquit, omne pro magnifico est, cum quo consentit Demetrius ille Phalereus, quo teste, τὰ μυσήρια ἐν ἀλλήγορίαις λέγεται πρὸς ἐκπληξιν καὶ Φρικὴν ὡς περ ἐν ἀδύτω καὶ νυκτὶ, i. e. mysteria allegoriis exprimuntur ad terrorem & horrorem tanquam in adyto & nocte.* Neque alia ratione veritati consultum iri probe intelligebant philosophi, nisi huic hominum indoli sese attemperarent, & quæ explicatius proponi poterant, variis involucris obnubilarent. Sic, quod ingenue testatur d) Plutarchus, segnes altoque sopore quasi sepultos homines excitabant & circumveniebant non viri tantum, qui morum & civilis prudentiæ præcepta carminibus suis fabulisque docebant, sed qui scholas etiam aperiebant philosophicas & ad rerum naturalium contemplationem ingeniique culturam rudes exacuebant mortalium animos. Sive enim rerum apud barbaras gentes gestarum memoriam recolamus, sive in Græciam Latiumque referamus pedem, ubique manifesta hujus rei inveniemus vestigia. Apud Germanos Druides potissimum hoc obscuritatis artificio philosophiæ præcepta nobilitare solebant, de quibus e) Mela: *Docent multa, inquit, nobilissimos gentis clam et diu vicenis annis aut in abditis saltibus.* Nec quicquam litteris eodem consilio mandabant, quod, teste f) Julio Cæsare, in vulgus disciplinam efferri noluerunt. In primis vero præter alias barbaras

A 3

gen-

c) v. Tacitum in Agricola C. XXX.

d) in libr. de audiendis Poëtis. Huc referri etiam possunt, quæ Phædrus in Præf. L. III. Fab. v. 35. affert:

Quia quæ volebat, non audebat dicere
 Affectus proprios in fabellas transtulit,
 Calumniamque fictis elusit jocis.

e) v. Pomp. Mela. L. III. c. 2.

f) de bello gallico L. VI. c. 14.

gentes g) Aegyptii philosophiæ & theologiæ disciplinas obscura prorsus ratione & sub ænigmatibus quasi latentes propagarunt, quin imo post introductas etiam litteras, hieroglyphica excogitarunt, quibus sua ut sacra umbris & velis obtenderent, exterisque gentes ad tam sublimia arcanæ sapientiæ studia inflammarent. Licet enim facile largiamur, initio non tam obscurandæ quam illustrandæ potius doctrinæ causa h) Aegyptiorum symbola fuisse inventa: nihilominus tamen post singulares, quas passa est Ægyptus, conversiones rerum i) a sacerdotibus ad augendam religionum & sapientiæ auctoritatem, sunt adhibita, quibus quæque litterarum studia regum auspiciis erant permissa, ut eo venerabiliora habeantur. Ex Ægypto autem hæc obscuritatis affectatio ad alias occidentis gentes tanta celeritate proserpsit, ut postea temporis quoque christianæ civitatis præfules ad pietatis mysteria extollenda & cohonestanda iisdem strategematibus mirifice sint delectati. Dictis ut sua constet veritas, summus christiani cætus doctor prodeat in medium k) Augustinus. *Hic vero; non mirari debetis, inquit, quod inter ipsa mysteria de mysteriis nihil diximus, quod non statim ea, que tradidimus, interpretati sumus; adhibuimus enim tam sanctis rebus atque divinis honorem silentii:* Quid? quod alio loco, quæ l) Basilius profert: *Mysteriorum veneratio silentio conservatur, & suo exemplo confirmat:* m) *Si Catechumenis sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non possint, sed ut tanto ardentius ab iis concupiscantur, quanto iis honorabilius occultantur.* Quantum vero detrimenti obscuris his vocibus & tenebris, quibus mentem involvere solebant consulto patres, tulerit sacra respublica, non est, quod

g) Natales hujus a philosophis affectatæ obscuritatis non ad solos Ægyptios sed etiam reliquos orientis populos esse referendos, dilucide exposuit Moshemius ad Cudworth. p. 369.

h) v. Cudworth. Syft. 370. not. 38.

i) Bruckeri Hist. Crit. Philos. T. I. p. 270 seqv.

k) Serm. I. inter XL. editos a Sirimondo.

l) de Spiritu S. c. XXVII.

m) Homil. 96. in Joan.

quod copiosius commemoremus, quum n) alii hoc argumentum satis superque sint profecuti.

Quod o) Frontinus de heroum strategematibus asserit, eorum proprie vim in arte sollertiaque positam proficere tam ubi cavendus quam ubi opprimendus sit hostis; hoc quodammodo ad illa obscuritatis subsidia applicari potest. Veritas enim uti sæpius odium parit, ita etiam præsentiebant philosophi, quantum in vitæ discrimen sint abituri, si dogmata recens excogitata tam perspicue proponerent, ut imperita plebs eadem saperet. Cavendus itaque quum esset hostilis superstitiosorum civium animus quibusvis rebus infensissimus, quæ a patriis moribus, sacrisque ac civilibus institutis aliquantisper recedunt: ad dictionis obscuritatem tanquam ad tutissimum præsidium confugiebant. Hac ratione commotus p) Pythagoras, nec quemlibet suam in scholam recipiebat, nec discipulis nisi probe initiatis philosophiæ suæ proponebat arcana. Jussit præter ea, ut qui scholam suam frequentabant q) alto quæque premerent silentio. Ipse vero symbolis, quæ ex Aegypto secum tulerat & ænigmatibus frequenter est usus, quæ, interprete r) Jamblichio, anilia quidem videbantur, si quis arcanos sensus non attigisset, ubi vero significatio sensusque latius esset evolutus, profundam philosophiam exhibebant. Cujus vestigiis eo ardentius insistebant reliqui, quo certius acerbissimo s) Anaxagoræ, Socratis aliorumque fato erant condoces facti, quam parum sibi suæque salutis prospicerent, qui in tegendis & obscurandis suis de Deo aliisque rebus veritatibus minus circumspecte erant versati. Cavit
fibi

n) v. Tempe Helvet. Tom. II. Sect. I. p. 108. itemque Dallæum de usu patrum L. I. c. 5. Basnag. Annales Eccles. pol. T. II. Diff. 12. aliosque, qui de veterum disciplina arcani disputarunt.

o) in præf. sua in tres priores strategematicorum libros p. 5. ed. Keuchenii, 8.

p) v. Gellium in N. A. L. I. c. 9. ubi potiora disciplinæ ejus capita exquisite proponit. Addi potest Schefferus de nat. phil. Ital. c. IX. p. 99.

q) v. Bruckerus l. c. T. I. p. 1030. & Fabricii Bibl. græc. Vol. I. p. 118.

r) C. XXII. n. 103 seqv.

s) v. Laërt. L. II. sec. 14. it. Plutarch. in Pericle.

sibi hoc maxime divinus Plato, mirus ea in re artifex, tristisque præceptoris exemplo ad quæque dissimulanda concitatus. Hic quam confidenter ipse fatetur, t) difficile & invenire conditorem hujus universi & inventum evulgare ἀδύνατον nefasque esse. Quam ambiguis, quam poëticis, & ut cum v) Laërtio loquar, quam variis & alienis utitur nominibus, ut ne illius opera imperitis & rudibus sint conspicua, quam diversis etiam significationibus iisdem nominibus, imo contrarias sæpe adhibet voces ad idem significandum. Quid? quod perennem obscuritatis fontem invenit & aperuit, cum rationes philosophicas in mathematicas pro portione figuras resolvit, adeoque conspectui plebis infrunitæ plane se subduxit.

Usi autem sunt strategemate eodem non solum in defendenda salute sua scholæque celebritate firmanda philosophi, sed & in opprimendis dissentientium præfidiis & propugnaculis ad notum illud x) Maronis

- - - dolus an virtus, quis in hoste requirit.

In arenam enim progressi, ut superiores discederent, non raro pugnacibus philosophis adjumento fuisse videtur dictionis obscuritas. Notantur ab antiquis ea in re præter Eristicos & Dialecticos cum maxime Zenonis discipuli. Illi enim ut sapientiæ sublimioris laudem deportarent, non solum verbis singulis fere aliam substituerunt vim ac significatum, ut insuetis, innovatis ac ampullatis his verbis magna crepare videantur; sed eodem strategemate quoque, disputandi insana cupidine elati, caliginosas in sermonis latebras se abdiderunt, cum Epicureis congressi. Hinc spinosum illud, jejunum

t) in Timæo. Hinc λόγος ἀπορήτης doctrinam de Deo Platoniam Proclus aliiqve dixerunt.

v) Sect. 63. 64. itemqve Svidas in φαῦλος. Produxit quodammodo his ex tenebris & obscuritate præcepta naturæ a Platone tradita Burnetus in Archæol. phil. L. I. & Brückerus l. c. 677 seqv.

x) Æn. L. II. v. 390.

num & enervatum differendi genus enatum est, de quo jam graviter conquerebatur eloquentissimus y) Cicero. Hinc miræ vocum acceptiones, quæque innovandi artificia, rationes loquendi minus præfinitæ, vaga vocabula, tenebrosæ strophæ & cavillationes, paucis! summa sermonis obscuritas. Quibus perversis inclarescendi & disputandi studiis mascule se opposuit z) Epicurus, tanta quidem perspicuitatis affectatione, ut nullam nisi propriam & nativam verborum vim & potestatem admitteret.

Aegre quidem tulisse videtur a) Seneca obscuritatis affectationem, quando in hoc supercilia subduxisse inque hanc barbam dimisisse Stoicos dolet. Callide tamen juxta cum aliis sectæ suæ philosophis eorum infecutus est vestigiis. Etenim quum lux veritatis ubique terrarum exsplendesceret, & sublimia præstantissimaque religionum christianarum & morum dogmata quemque in sui raperent admirationem, verendum omnino erat, ne sectæ suæ gloria ex summo, quo evecta est, fastigio deturbaretur. At quid tum Stoici? subdole vocabula christianæ disciplinæ propria sibi adserebant, iisque Stoicam vim & potestatem surrogabant. Peperit hoc callidum inventum tantam in speciosissimis locis obscuritatem, ut, nisi ex concentu doctrinarum Senecæ, Epicteti, Antonini aliorumque dictis fax præferatur, eorum dicendi Veneribus & lepore facile decipiamur. Quid inde mirum, homines melioris frugis, teste b) Luciano, Diis obtulisse quondam Soteria, quod Stoicæ sectæ nubes ac tenebræ clariori veritatis luce sint discussæ.

Præcipua denique ratio, qua adducti quæque tenebris circumfundebant, lucemque eripiebant veritati, in fastu vanaque gloriæ cupiditate reposita est, qua inflati supra alios se extollebant profa-

B

ni

y) L. III. de finibus Tusc. Quæst. L. V.

z) v. Bruck. l. c. P. II. L. II. 1247 seqv.

a) Epist. 48.

b) T. I. p. 831. in dial. de Sectis nec non Sched. de Soteriis veterum, a Viro Magn. Kappio, Patrono nostro ætatem Venerando Anno 1751. Lipsiæ editum, cui ex accepto quondam fidelissimæ institutionis beneficio singulari semper pietatis sensu agam gratias.

ni illi philosophi. Exemplo enim philosophorum orientis probe erant edocti, nihil accommodatius esse ad gloriolam sibi parandam, quam si arcana, impedita, intellectuque difficiliora proponerent plebi, utpote quæ humanis plerumque majora iis inesse rebus arbitratur, quæ inauditæ sunt & a consuetudine abhorrent. Jure suo hinc c) Lilienthal doctissimus has quæque obscurandi rationes ad Machiavellismum litterarium retulit. Ecquis est, qui nesciat d) Pythagoram divinitatis avide appetentem apud veteres tanta fuisse auctoritate, ut non solum, dum viveret, humanum fastigium gloria excederet, sed etiam fato defunctus, a Porphyrio aliisque hominum sospitatori compararetur. Dubium vero est, utrum fictis suis miraculis aliisque fraudibus, quibus jam Minos, Numa & alii legislatores vulgo imposuerant, an dictionis potius obscuritate perplexisque symbolis & ænigmatibus tam immortalis sapientiæ laudem & virtutis famam sit consecutus. Licet enim speciose perhibeat e) ultimum philosophiæ finem esse, nihil demirari: eo tamen rem perduxit arcana docendi ratione, ut quisque diuinam ejus demiraretur sapientiam. Hinc f) Jamblichus multis locis testatur, diuersos plane interpretandi modos apud Pythagoram extitisse, alterum proprium sectæ Pythagoricæ nec evulgandum, alterum popularem. Quid Stoicorum *παράδοξα*, quid illa Platonis de re qualibet subtilius & obscurius disputandi studia aliud sibi volunt, quam ut singularis illa de sapientia horum virorum concepta opinio firmetur magisque diffeminaretur. Tam lepide hujus rei rationem descriptam legimus apud g) Burnetum, ut non possim non, quin locum illum hic allegem: *Ideo suam sententiam Platonem miris implicuisse ambagibus, quas nec discipuli, nec acutissimus Aristoteles assecuti*

c) v. ejusdem libr. de Machiavel. litt. §. XVII. p. 102.

d) v. Baylium T. III. art. Pythag. n. A. Justinum l. XX. c. 4. Plutarch. in Numa T. IV.

e) Plutarch. de audiend. Poët.

f) C. XXVIII. itemque protreptico, c. 21.

g) v. ejus Archæol. phil. L. I. c. II. p. 429 seqv.

cuti sint, ut illum propterea miremur, suspiciamusque & revereamur, tanquam insigne mysterium, opinemurque, nisi eam perfecte noscamus, causam esse, quod non in mentem divini viri penetremus, nobisque imputemus, quod homunciones quum simus, tantum assequi heroem non possimus: & cum nobis oculi noctuæ, illi aquilæ fuerint, ad illud jubar caligemus, quod ipse clare perspexerit. Quam studiose postea temporis scholasticæ turbæ antesignani hoc quæque obscurandi artificio sapientiæ laudem affectaverint, & plane extinxerint, quot verborum monstris, quot notionum terriculamentis infrunitam plebem exterruerint, norunt omnes, qui quæ h) Erasmus i) Tribbechovius aliique in medium protulerunt, tantum consulere volunt.

Quemadmodum vero omni ope & opera enitendum est, ut disjectis ignorantia & errorum tenebris, lux veritatis iis adfulgeat ingeniis, qui sapientiæ & Musarum se adserunt studiis: ita hanc laudem debemus jureque nostro tribuimus Adolescentibus Ornatissimis, qui suavi veritatis sensu excitati publice jam prodibunt in medium. Quorum alter

FRIDERICVS DE ZEHMEN

Equ. Misn.

Illustris & Generosissimi Domini de Zehmen Dynastæ in Stauchiz, Weissendorff & Weissing reliqua, Potentissimi Polon. Regis & Elect. Principis Saxon. a consiliis aulae & Justitiæ, Patroni ob plurima in nos collata beneficia ætatem suspiciendi filius & alacri ingenio & pietatis laude florentissimus. Qui cum sapientiæ virtutisque heroicæ exempla non e longinquo petita sed præsentia quotidie & domestica cum voluptate intueretur, cura primum reuerendi Heynii, qui tum illi præerat, nunc Sacrorum Leubensium antistitis mihi amicissimi, linguarum & artium rudimentis imbutus, tum institutioni nostræ traditus tanto ardore ad quæque ingenuarum litterarum studia incubuit, ut jam diuinis auspiciis animum ad sublimiores disciplinas Jenæ primum pertractandas applicare queat.

Di-

h) v. Enç. Moriæ 177.

i) Libr. de Doctoribus Scholast. p. m. 138 seqv. C. IV. edit. Heuman.

Diligentiæ itaque suæ ante discessum publice testimonium daturus, controuersia a Peralto quondam in Gallia excitatæ memor, *carmine latino heroico* commonstrabit, *Scriptores antiquiores recentioribus neque ingenii acumine neque eruditionis laude unquam cessisse, gallica oratione* vero urbi nostræ ac scholæ valedicturus. Cui adjungimus

ERNESTVM GOTTFRIED ZEIBIG

Misna Misn.

Juris ciuilibus consultissimo deque Misnensium flore optime promerito patre satum, qui sagaci & prudenti animo urbem regit Consul. Hic ad quæque bona flexibilis, moribusque bene compositis & studio indefesso scholasticæ vitæ cursum feliciter emensus, Lipsiam se conferet ad legum morumque populi romani jurisque ciuilibus doctrinam excolendam. *Carminibus patriæ suauissimæ gratias & vota persoluet, præmissa oratione latina, qua exponet, quibus in artibus antiquiores recentioribus palmam præripere videantur.* Utrisque vero, ut semper diligentia & virtutis laude nostrum in se amorem prouocarunt, pia mente apprecamur, ut sapientiæ & doctrinarum præceptis cultissimi redeant, ac demum patriæ & suis perpetuo sint ornamento. Declarabit vota scholæ pie concepta abiturientibus

CHRISTOPHORVS DANIEL GVNTHERVVS

Zscheyla Misn.

Juuenis pereximius, litterarum artiumque studiis apprime deditus, qui *oratione teutonica* explicabit, *quibus in eruditionis partibus recentiores antiquis antecedant rerum intelligentia.*

Ut itaque Patroni utriusque reipublicæ Grauiissimi, Amici, omnesque mansuetiorum Musarum Fautores benevoli & frequentes adsint differentibus, nosque ac nostros & in posterum beneuolentia & amore complectantur, majorem in modum rogamus & precamur. P. P. Misnæ Pridie Calend. April.

CIO IOCCLIH.

